

Commentarii in *Isaiam*: Si aliquis dixerit Hebræorum libros postea a Judæis esse falsatos, audiat Origenem quid in octavo volumine explanationum *Isaiæ* huic respondeat quasiunculæ, quod nunquam Dominus et apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis et Phariseis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticissent: sin autem dixerint, post adventum Redemptoris et prædicationem apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinum tenere non potero, ut Salvator et evangelistæ, et apostoli, ita testimonia protulerint, ut Judæi falsaturi erant; ergo nec ante, nec post Christi adventum corrupta est sacra Scriptura Veteris Testamenti. Deinde fieri non potuit, ut Judæi sacros codices adulterarent nemine advertente, ac reclamante nemine; 1. quia in singulis familiis, saltem tribus Levi, utpote consecratis ministerio altaris sacri libri reperiebantur, et Judæi ubique terrarum dispersi hos penes se religiose custodiebant; 2. quia in eam corruptionem consentire etiam debuissent auctores versionis Septuaginta Interpretum, quæ in substantialibus ab Hebræis codicibus non dissidet; 3. quia credibile non est voluisse Judæos sacros codices depravare, in quos tanto studio et reverentia ferebantur, ut parati essent mortem potius subire, quam vel apicem in illis immutare, ut scribunt Josephus, lib. 1 *contra Appionem*, et Philo apud Eusebium, lib. viii, cap. 6 et 8.

(51. Quæ autem argumenta Veteris Testamenti integritatem probant, ad libros quoque Novi Testamenti applicari possunt. Nam hujusmodi libri in rebus, quæ ad fidem morisque pertinent, iidem sunt et eodem modo reperiuntur apud sectas et communiones alioquin sibi infensissimas, scilicet apud Nestorianos, Jacobitas et Photianos in Oriente, et apud Catholicos tum Orientis, cum Occidentis, atque apud omnes novatores. Et quidem si a Catholicis tentata fuisset depravatio, eam illis hæretici exprobrassent, et vicissim hæretici Catholici. Denique nec tempus, nec modus, nec auctores hujusmodi depravationis proferri possunt. Negari tamen non potest, errata plura levioris momenti in sacros codices irrepsisse, quæ incuriæ et ignorantia scribarum potius quam Judæorum aliorumque malitiæ tribuenda sunt. Regulas præscribunt auctores, præsertim ex Augustino libro xi *contra Faustum* c. 2, quarum usu corrigi et expurgari sacri codices possint. Una vero atque tutissima regula est, judicium atque sententia Ecclesiæ, cui concredita sunt eloquia Dei, cui in custodiendo divinæ revelationis deposito inerrantiæ privilegium concessum a Deo fuit, cui denique præsto semper adest divinus ille Spiritus, qui ex infallibili Christi Domini promissione reclusus est Ecclesiæ pastores usque ad consummationem sæculi.

(52. Sacra Scriptura divinæ, atque omnino infallibilis veritatis est: etenim integros complectitur Veteris ac Novi Testamenti libros, quos Moses, propheta, evangelistæ et

apostoli conscripserunt: conscripti vero ab istis libri divinam, atque omnino infallibilem veritatem obtinent. Nam sanctus Petrus Spiritu sancto inspiratos atque locutos ait sanctos Dei homines; Paulus ad *Timotheum* ii, c. 3, omnem scripturam divinitus inspiratam asserit; atque *Isaias* c. v, Jonas, alique prophetæ palam testati sunt, se verbum Dei litteris consignasse. Quis ergo dubitet divinam atque infallibilem præseferre auctoritatem? Deinde in libris Mosis perspicui characteres occurrunt divinæ revelationis; nam Moses se a Deo missum prædicat, ac missionem suam, legem et doctrinam, quam Dei nomine promulgat, cum miraculis, tum prophetia eventu comprobata, tum doctrinæ sanctitate comprobatur. Similia occurrunt in aliis prophetarum libris. Nec de sapientialibus et historicis libris dubitatio occurrere potest ulla. Tum quia sapientiales libri leges continent, et præcepta, quæ homines dirigunt ad finem ultimum, qui alius non est, quam Deus ipse: leges enim et præcepta tradunt bene vivendi, Deoque per cognitionem et amorem adhaerendi, cum separatione sui a creaturis non minus, quam a seipso. « Doctrina hæc, inquit Augustinus lib. xx *De Civitate Dei* c. 25, si cum doctrina comparatur philosophorum de fide et hominis felicitate disputantium, facile comperietur inspirante Deo conscripta. » Tum etiam quia sapientiales, ac historici libri, de quibus loquimur, primum ab Hebræorum Synagoga, deinceps a Christi Ecclesia veluti Deo inspirante conscripti, suscepti fuere, atque in maxima veneratione habiti. Iis ergo characteribus muniti prodire, quibus constaret divinitus revelatam doctrinam continere. Neque enim præsumere aut suspicari licet, Synagogam Judæorum, quæ vera Dei Ecclesia erat, et quæ Deo docente didicerat, inter Verbum Dei et hominum doctrinam distinguere, suscipere voluisse veluti divinos libros illos, quos perspicue non nosset exaratos fuisse ab hominibus a Deo missis, et divino Spiritu inspiratis. Ac multo minus affirmari id poterit de Christi Ecclesia, cui peculiaris assistentia promissa ac uberiora privilegia concessa fuerunt.

(53. Eadem ratione infallibilis auctoritas tribuenda est libris Novi Testamenti, quos conscripserunt viri a Deo missi ad prædicandum evangelium, quales fuisse apostolos et evangelistas nemo dubitat. In iis enim, characteres divinæ revelationis omnino conspicui sunt, ut nos in c. 3 Articuli de religione naturali et revelata demonstravimus.

(54. Venio nunc ad quæstionem expendendam de inspiratione illa, qua inspirati sacri auctores divinos libros conscripserunt. Pro rei claritate duplicem distinguere placet inspirationem, specialem unam, directionis alteram. Prior illa est, qua scriptor aliquis ita Dei Spiritu agitur, ut ei per manifestationem, et revelationem ostendantur ea, quæ scribit, et quæ aliunde minime noverat. Posterior vero assistentia et dire-

ctio quædam est, qua Spiritus sanctus præsto scriptori fit, ne scribendo in errorem incidat; atque hac in directione, sive assistentia, duo Spiritus sanctus præstat: primo ingerit ei constantem voluntatem vera scribendi; secundo eundem tanto lumine perfundit, ut erroris obnoxius esse non possit in iis scribendis, quæ noverat. Non dubito, quin utrumvis inspirationis genus satis sit, ut sacris scriptoribus infallibilis auctoritas concilietur. His præmissis,

Quæritur, num Spiritus sanctus scriptoribus suis inspiravit tantum res, quam narrant, an etiam, voces singulas, terminos, expressiones et stylum?

Resp. Quamquam affirmans sententia non paucis theologis placuerit, negans tamen illis videtur probabilior. 1. quoniam modus ille inspirationis non est necessarius ad conciliandam infallibilitatem libris sacris; 2. quia styli diversitas inter scriptores sacros indicare videtur oppositum; 3. quia nec sacra litteræ, nec traditio specialissimam illam inspirationem docent, sed tantum sacros scriptores ita Spiritu sancto dirigente scripsisse, ut minime potuerint in errore labi. Legatur dissert. P. Calmet præfixa primæ Epist. S. Petri et Dupin., in diss. præliminari ad *sacram Script.*, lib. 1, c. 2, § 6. Pro prima opinione videri poterit Mazzinellus, diss. 1. *De sac. Scrip.*, cap. 2, art. 3, ubi probat ex sac. Script. et S. Thoma, voces quoque sacris scriptoribus divinitus suppeditatas esse, quia *Isai.* c. l, vers. 4, ait: *Dominus dedit mihi linguam eruditam*: quia Christus dum misit apostolos, ut docerent omnes gentes, dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus*, vobiscum scilicet verba proferens; et quia necessaria erat inspiratio verborum, ut unanimes esset Ecclesia doctrina, et ut unanimes uno ore fideles honorificarent Deum, ut legitur *Rom.* xv.

(55. Inquiri posset deinde de rebus et veritatibus his litteris consignatis. Nulli dubium est, quin per immediatam et specialem inspirationem cum divina revelatione conjunctam ea scripta sint, quæ sacri Scriptores minime noverant. At si sermo habeatur de rebus, quas ipsimet viderant et audierant, ut plurimæ in utroque Testamento occurrunt, non fuit necessaria primi generis inspiratio; sed satis fuit ea, quam secundi generis diximus. In hac opinione versantur Cornelius a Lapide, Comment. in secundam Epistolam ad *Timotheum*; Bellarm., lib. ii; *De verbo Dei*; Canus, *De locis theol.*, lib. ii, c. 18; Simonius, in *Histor. critic. N. T.*, capp. 23 et 24, et Dupinus, *loc. cit.* (41).

(56. Circa facta vero, ac res alias ad reli-

(41) Adde his P. Goldhagen, cit., t. I, sect. 4, quæst. 5, § 3 seqq. Equidem Lovaniensis academia an. 1587, et Duacena an. 1588, tres Lessii, et Hamelii propositiones hanc sententiam insinuantes censura notarunt. Verum nec ea censura legitima erat, ut quæ e privatis affectibus nata videretur, et a plurimis rejecta fuit. Quamobrem contra illam valide a pa-

gionem minime pertinentes, non desunt, qui asserant litteris consignata fuisse a sacris scriptoribus absque inspiratione ac sancti Spiritus directione, ut opinatus est Henricus Olden sæculi 17 scriptor et doctor Facultatis Parisiensis in *Analyse fidei*, lib. 1, cap. 3. Sed nova hæc opinio est, ac Patribus et Theologis omnibus contraria, ideoque veluti suspecta, temeraria, perniciose, rejicienda est. Etsi enim finis principalis sacrae Scripturae est, ea nos docere, quæ ad religionem spectant, tamen vel ipse finis postulat, ut nihil falsi in sacris libris contineatur, ne illa falsitatis admistio præjudicium afferat veritatibus. Facile enim increduli ex falsitate factorum ad historiam pertinentium dubitare possent de veritate eorum, quæ ad religionem pertinent. Præterea quis certo discerneret, an factum aliquid ad religionem pertineat, nec ne, an veritas aliqua moralem Christianam et religionem spectet, aut potius philosophiam et œconomiam? En igitur quam perniciosum aditum opposita sententia aperiat. Vide Mazzinell., *loc. cit.*

(57. Superest alia quæstio, num sacri scriptores libere scripserint. Scio auctores esse, qui contendant voluntarie quidem, sed non libere scripsisse. At opposita sententia magis arridet, 1. quia Deus solet hominibus tanquam instrumentis uti, modo, qui eorum naturæ congruat, in sacris ergo scriptoribus libertatem, quæ naturæ hominis propria est, servavit; 2. quia facilitas tum loquendi, tum scribendi summam quidem, ac maxime perspicuam in eorum mente rerum cognitionem arguunt, sed scribendi necessitatem in voluntate non probant; 3. quia uberius et efficax auxilium, quo Spiritus sanctus adjuvit sacros scriptores, cum voluntatis libertate quam maxime cohæret, ut docent theologi in tract. *De divina gratia*. Vide Orig., lib. iii *De princip.*, c. 2, ubi variis argumentis hanc opinionem probat. Nec est alicujus momenti objectio Abulensis, qui ait, Moysen nunquam scripturum fuisse hoc de seipso elogium, si fuisset liber, erat *Moses vir mitissimus*; nam id scripsit Moses, tum peculiari Spiritus sancti afflatu, tum speciali Dei præcepto; afflatus autem ille, præceptum illud, cohærent cum arbitrii libertate.

(58. De sacrorum librorum numero dictum est ab auctore in suo articulo, ubi *Tridentini* concilii decretum profert. Dicendum vero nobis superest de canone, sive catalogo sacrorum librorum publica Ecclesiæ auctoritate condito. Nota res est, libros sacros cum Veteris, tum Novi Testamenti non fuisse omnes uno eodemque tempore conditos; constat enim ex Veteris Testamenti libris primum Mosis Pentateuchum,

tronicæ contrariæ sententiæ pugnatum est, illis Universitatibus, ac præsertim Parisiensi, suffragantibus. Controversia demum Romam sub Sixto V, iterumque sub Innocentio IX, delata neutram in partem decisa est; magno deinceps consensu auctores recentiores sententiæ Lessii subscripserunt.

deinceps libros Josue, Paralipomenon, Regum, ac sequentibus sæculis alios scriptos a prophetis fuisse, et ex libris Novi Testamenti Evangelia, apostolorum Acta, Epistolæ et Apocalypsis diversis temporibus scripta fuere. Nec statim ac in lucem prodire libri, publica Ecclesiæ auctoritate in canonem sacrarum Scripturarum relati fuerunt. Nam Judæi ante Esdræ nullum canonem sacrarum Scripturarum habuerunt, ac soli quinque Mosis libri paulo post istius mortem in unum collecti fuerunt. Nam primum solus Deuteronomii liber, qui præcedentium quatuor summa est, repositus fuit in latere arcæ fœderis, prout præceperat Moses leviticis *Deuteron. c. xxi.* Deinde vero omnes quinque libri in unum collecti canonem publicam auctoritate confectum exhibere. Alii autem libri adjecti canonem non fuere, nisi post divisionem tribuum, quæ post Salomonis mortem contigit, ut facile colligere est ex eo, quod Samaritani solos quinque Mosis libros pro canonicis habuerunt. Ita Dupinus, alique viri eruditi conjiunt. Neque in Ecclesia Christi fuere statim libri omnes testamenti collecti, et in canonem relati; scimus enim a plerisque quatuor prioribus sæculis rejectos fuisse Apocalypsim, Epistolam S. Pauli ad Hebræos, aliosque libros, et in concilio *Hipponensi* an. 393, fuisse primum integrum sacrarum librorum Novi Testamenti catalogum concinnatum. Ex iis vero colligitur, Deum non præcepisse Synagogæ et Ecclesiæ, ut sacros libros statim in canonem referrent Scripturarum, sed earum curæ et diligentia id commisisset, ac voluisse, ut non nisi opportuno tempore hujusmodi catalogus conficeretur. Atque hinc patet, injuria de auctoritate alicujus sacri libri dubitari, quia aliquibus sæculis in canone sacrarum Scripturarum non fuit.

(59. Ad Judæorum canonem quod spectat, eruditi omnes fatentur ab Esdra fuisse confectum. Sont qui cum S. Basilio contendunt in Hierosolymitanæ urbis excidio, et templi incendio periisse omnes sacros codices, ab Esdra vero post captivitatem per 40 dies iterum dictatos fuisse quinque viris, afflante Spiritu sancto, omnes sacros libros; sed verisimilior habetur eorum opinio, qui aiunt non periisse omnia sacrarum librorum exemplaria, ac Esdræ, cum esset scriba doctus, collatis invicem pluribus exemplaribus, errata correxisse, quæ in sacros codices irrepererant, et postea canonem condidisse, qui magnæ Synagogæ auctoritate probatus fuit. In hujusmodi canone ex libris Veteris Testamenti desiderantur libri Tobie, Judith, Sapientie, Ecclesiastici, et duo Machabæorum, et in libro Danielis apud Judæos deest hymnus trium puerorum, ac historia Susannæ, Beli, draconisque, et in libro Esther septem postrema capita.

(60. Non desunt, qui alium quoque canonem deinceps a Judæis conditum fuisse autumant. Serarius duos apud Judæos fuisse canones ait, primum ab Esdra, et Synagoga, alterum vero, vel cum Septuaginta Interpretes in

Ægyptum missi sunt, ut Græcam versionem perficerent, vel quando quæstio de resurrectione corporum Sadducæos inter atque Phariseos agitata fuit. Genebrandus vero tres fuisse ab Hebræis confectos canones asserit: primum ab Esdra, approbante Synagoga; alterum a Synagoga, quo tempore missi LXX Interpretes fuerunt, in quo repositi fuerunt libri Tobie, Judith, Ecclesiastici et Sapientie; tertium denique fervente de resurrectione disputatione, in quem duo Machabæorum libri relati fuerant: sed hæc paucis probantur. Licet enim libri, quos diximus, magno in pretio essent apud Judæos Hellenistas, Græco scilicet sermone utentes, nunquam tamen in canone Judæorum existere; ut ex Judæis et antiquis Ecclesiæ Patribus novimus.

(61. Etsi sex supra recensiti libri, ac Estheris capita septem, et nonnulla Danielis capita in Hebræorum canone non fuerint, tamen jure atque merito *Tridentina* synodus illos in canonem retulit. Nam quod in canone Judæorum non fuerint, argumentum non est, non fuisse afflante Spiritu sancto conscriptos; tum quia longo tempore extra canonem fuere plures ex iis, qui in canone Judæorum reperiuntur; ut supra ostendimus: tum etiam, quia nonnulli sacri libri perierunt, ut ostendit Ferraris in superiori articulo. Ergo si aliunde Ecclesiæ constet divinitus hujusmodi libros fuisse conscriptos, jure atque merito in canonem referuntur. Id vero constat, tum ex eo, quod apud Hellenistas Judæos in maxima veneratione essent; tum ex divina, quam complectuntur doctrina; tum denique, quia Ecclesia Christiana per divinam traditionem accepit fuisse libros illos inspirante sancto Spiritu exaratos. Nam semper in maxima veneratione habiti sunt in Ecclesia Christi, quæ dum in canone reposuit omnes Novi Testamenti libros, etiam libros hujusmodi in canone collocavit. Scilicet in canone *Hipponensi* concilii an. 393, celebrati omnes isti libri recensentur: *Hipponensis* canon transcriptus fuit in concilio *Carthaginensi* III, an. 397, in quo Patres consulendam censuere transmarinam, hoc est Romanam Ecclesiam, quæ eosdem libros probavit; nam Innocentius primus, in Epistola ad Exuperium Tolosanum episcopum, numerat omnes libros sacros, qui in canone ab Africanis Patribus recepti fuerant; et Africani PP. in altero an. 419 celebrato concilio eundem canonem comprobant. Si alia cupis antiqua monumenta, quibus divinos esse hujusmodi libros comprobatur, consule eruditam dissertationem editam a P. Joanne Chrysostomo a S. Joseph de *Canone Scripturarum divinarum*; ex quo constat, jure meritoque Eugenium IV, in *Instructione pro Armenis*, et concilium *Florentinum* in decreto edito pro *Jacobitis*, quod includit etiam decreta pro Armenis et Græcis, § *Firmissime* syllabum exhibere sacrarum librorum, quem deinceps probavit *Tridentina* synodus.

(62. Neque alicujus momenti est Novatorum objectio ex eo deprompta, quod hujus-

modi libros Judæi non retulerint in canonem: tum quia id Judæorum negligentia tribui potest, quorum incuria nonnulli sacri libri perierunt; tum etiam quia rationes non desunt, ob quas extra canonem hujusmodi libri essent. Nam libri Machabæorum et Ecclesiastici scripti fuere post confectum ab Esdra canonem: hujusmodi enim libri regnantibus Græcis conscripti fuere, ideoque clauso jam canone. Quod vero spectat ad libros Tobie et Judith, dici potest, vel hos Esdræ ignorasse vel in canonem non collocasse, quia non erant scripti Hebraica lingua, qua Deus Judæos allocutus fuerat, sed Chaldaica: idem dicimus de libro Sapientie, qui continet sententias Salomonis, Græce tamen scriptas a Philone antiquiore, quem ferunt unum fuisse ex LXX Interpretibus. Et licet Ecclesiasticus, et primus Machabæorum perhibeantur Hebraice scripti, tamen constat originales textus periisse, et Græca tantum exemplaria superesse. *Vide Nat. Alex., Huet., Dupin., Mazzinell., aliosque.*

(63. Circa versiones sacræ Scripturæ, vide citatos auctores; nos enim hic de sola Scriptura in lingua vernacula nonnulla subjiciemus, ac postea regulas subnectemus pro vero dignoscendo Scripturæ sensu. Habes in superiori articulo relatas ab auctore regulas indicis et damnatas hæc de re ab Apostolica Sede propositiones. Ut autem appareat quam mens sit Apostolicæ Sedis, exhibeo decretum sacræ cong. Ind. 13 Junii 1757, prout legitur in nova editione Indicis librorum prohibitorum pag. 6, in additionem ad Regulam IV: *Quod si hujusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbate aut editæ cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur* (42). Vides ergo quæ ratione legi non possit sacræ Scriptura in lingua vulgari: atque hinc intellige, quo in sensu damnata sint Quesnelli propositiones. In illis enim statuit omnibus necessariam et præceptam esse lectionem sac. Script. et Ecclesiæ reprehendit, quæ iustis de causis promiscuam lectionem in lingua vulgari interdixit. Addi quoque potest, in Gallia, in Germania (43), in Britannia ac in Polonia pluries prodidisse Bibliam in lingua vernacula, ac toleratam fuisse ab Apostolica Sede promiscuam eorum lectionem, ex quo apparet, Apostolicam Sedem, remotis illis causis, ob quas juste interdixit lectionem sacræ Scripturæ in lingua vulgari, hujusmodi lectionem permittere (44).

(64. Sed venio ad regulas quarum usu investigari, erui et dignosci possit verus sacræ Scripturæ sensus. I. Ad sacræ Scripturæ lectionem nemo accedat animo curioso,

(42) Atque ad hanc regulam exacta est, quam illustriss. archiepiscopus Florentinus, Martinius editit, italica Bibliorum versio, Romæ quoque recusa.

(43) In Hungaria quoque.

(44) Verum quis legitimus fuerit Clementis XI, Quesnellianas illas propositiones damnantis sensus,

critico aut superbo, sed religioso, submisso ac docili, qui unico veritatis detegendæ ac obtinendæ salutis studio feratur. 2. Intelligentia Scripturæ, quantum fieri potest, ex ipsa sacra Scriptura repetenda est, loca cum locis, Vetus Testamentum cum Novo, et obscura cum manifestis conferendo: ac præterea recurrendum est ad antiquos Ecclesiæ Patres, qui verum divinæ revelationis sensum ab apostolis, aliisque viris divino Spiritu afflatis per traditionem acceperunt. 3. Tradita ab Origene in *Evang. Joannis* per hæc verba: « Qui accurate Scripturam legere voluerit, diligentiam is adhibeat oportet: observare necessarium cum sit, quæ dicuntur, a quibus, quo tempore, ut per totos sanctos libros inveniamus personis apte tributum sermonem. » 4. A litterali Scripturæ sensu non est recedendum nisi ratio et evidens causa moveat: alioquin actum esset de Scripturis, et cuique fas esset a proprio et naturali sensu ad figuratum et allegoricum Scripturam detorquere. 5. « In allegoria, inquit S. Augustinus in *psal. vii*, hæc regula retinenda est, ut pro sententia præsentis loci consideretur quod per similitudinem dicitur. » 6. Ab eodem S. doctore præscribitur libr. in *De doct. Christ.*, cap. 10: « Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. » 7. Interpretandam esse ex communi sanctorum Patrum sensu, ut inquit *Tridentina* synodus, quæ monet etiam, « reprimendam illorum temeritatem esse, quæ ad profana quoque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, vana, fabulosa, adulationes, detractiones, divinationes, sortes, libellos etiam famosos. » Ex sensu accommodatio firmum desumi non potest argumentum ad probanda dogmata fidei et morum, quia talis sensus non est Spiritus sancti, sed hominis, nec Scripturæ verbis immediate vel mediate exprimitur: at ex consensu litterali et mystico desumi optime potest; cum hoc tamen discrimine, quod ex sensu litterali semper et in quolibet casu firmum argumentum sumitur, ex mystico vero sensu tunc tantum, cum talis sensus asseritur ab aliquo sacro scriptore, et ab idoneo interprete sacrarum Scripturarum; interpres vero ac legitimus Scripturarum iudex Ecclesia est, cui concredita sunt eloquia Dei; suprema vero potestas cum inerrantiæ privilegio est in Romano Pontifice Petri successore, qui ut Christi vicarius sustentat et ita regit Ecclesiam, ut nunquam portæ inferi adversus ipsam prævalere possint. Omisimus uberiorem disputationem de versionibus sacrarum Scripturarum, quia de his satis a Lucio dictum est. Quod vero spectat ad Ec-

ex constitutionis *Unigenitus* interpretibus ac vindicibus discere quisque poterit, præsertim ex P. Germonio, cujus Gallicos de ea constitutione commentarios celeberrimus cardinalis de Bissy cooptavit, et ex P. La Fontaine in sua *Constitutione Unigenitus theologicæ propugnata.*

clesiæ auctoritatem, cujus iudicio interpretari Scriptura et Scripturæ canon confici debet, vide quæ diximus in artic. *De Ecclesia, de Rom. Pontif. et relig. nat. et revel.*

ADDITIONES CASINENSES.

(65. Sacra Scriptura est verbum Dei scriptum, ipso inspirante singulas ejus partes, saltem quoad sensum: est dogma fidei. Dicimus autem saltem quoad sensum, quod sufficit, ut Scriptura divinitus dictata et inspirata dicatur in singulis ejus membris; sicut si quis Epistolam Amanuensi dictet quoad sensum, utique Epistolæ auctor est, licet scribenti permittat verborum delectum.

(66. Jam vero inter Catholicos nonnulli docent, non solum sententias, verum etiam verba divinitus fuisse inspirata: ita tenent Estius, academia Lovaniensis et Duacensis, aliique graves theologi. Alii post Bellarminum censent, exceptis mysteriis fidei, quæ rationem humanam superant, et in quibus verborum mutatio errori obnoxia esset, in reliquis sensum tantummodo divinitus esse inspiratum; verba vero delectui sacri scriptoris fuisse permissa.

(67. Porro necesse nobis non est ad inspirationem vindicandam, illorum opinioni subscribere, qui eam extendunt ad singula omnino verba: haud leves enim considerationes nos impediunt quominus in istorum sententiam eamus. Et primo, styli varietas, quæ in diversis scriptoribus hagiographis pro diverso uniuscujusque cultu, ingenio atque indole elucet: incongruum quippe videtur affirmare Deum accommodasse verba vario singulorum scriptorum ingenio.

(68. Amplius major minorque difficultas, quam in opere suo concinnando expertos se esse hagiographi scriptores ipsi professi sunt, ut ex *Machab. lib. II, cap. II, v. 27, 30, 31, ibi: Et nobis quidem ipsi, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus... Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes: ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est... ita æstimandum est et in nobis. Etenim intellectum colligere et ordinare sermonem, et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiæ congruit auctori. Brevitatem vero dictionis sectari et executiones rerum vitare, brevianti concedendum est. Ex quibus verbis intelligimus, non solum vocabula, verum etiam hagiographis scriptoribus a Spiritu sancto relictum esse negotium conquirendi, quæ ad susceptum inspiratumque a Deo institutum perlineret, quoties aggressi sunt mandare litteris historias, morales sententias, etc.*

(69. Gravis item est inter theologos quæstio, utrum ex libris sacris aliqui, et quidem non apocryphi, sed vere divini, hominum incuria vel injuria hostium, religionis perierint. Bellarminus quidem, Serarius, Estius, aliique post Chrysostomum id affirmant, eo quod in Scriptura nonnulli laudantur libri, quos verisimile est fuisse sacros

ac divinos, ut *Liber bellorum Domini*, Numer. cap. XXI, v. 14, aliique, quos recenset Lucius noster hic supra n. 15.

(70. At animadvertas licet, quod cum sacri scriptores aliquando laudent etiam sententias ex libris qui certissime sacri non sunt, ut *Actor. XVII, v. 28*, ex Arato, et ad *Titum I, v. 12*, ex Epimenide, non est adeo evidens, libros alios, qui in Scripturis laudantur, fuisse divinos. Huic accedit, quod divus Augustinus, lib. XVIII *De civit. Dei*, cap. 38, libros ut supra, nec sacros, nec canonicos fuisse dicit; additque tales libros pertinuisse ad ubertatem cognitionis, non ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon.

(71. Cæterum si providentia Dei libros illos dictavit, ac postmodum interciderent permissis, putandum est eos non ad perpetuum, sed temporaneum Ecclesiæ usum fuisse divinitus inspiratos.

(72. Etiam ex libris Novi Testamenti perisse putant aliam Pauli Epistolam ad Corinthios, cujus videtur meminisse *I Cor. cap. V, v. 9*, his verbis: *Scripti vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis*; sed posset responderi, Epistolam illam non esse aliam prius missam, sed illam ipsam, in qua Paulus antea Corinthios reprehenderat, quod incestuosum ab Ecclesia non ejecerat. Quapropter in ambiguo res esse videtur.

(73. Hic etiam nota, minus recte Lucium nostrum ex verbis Pauli in Epistola ad *Colossenses* cap. IV, v. 16, ibi: *Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur; et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis*: minus recte, inquam, ex his verbis deducere voluisse, quod Apostolus et Epistolam pro Laodicensibus exaraverit, quæ postea perierit. Siquidem non vult ibi Paulus innuere, quod ipse scripserit ad Laodicenses, sed quod hi Epistolam ad Paulum miserint; ait enim textus, *ut eam, quæ Laodicensium est, vos legatis*; sensus est, ut vos legatis Epistolam a Laodicensibus conscriptam. Unde Theodoretus: *Quidam, inquit, existimarunt Paulum etiam scripsisse ad Laodicenses. Itaque fictam etiam Epistolam proferunt. Divinus autem Apostolus non dixit eam quæ est ad Laodicenses, sed eam, quæ est ex Laodicea. Illi enim de aliquibus rebus ad eum scripserant. Verisimile est autem, eos vel ea accusasse, quæ Colossis facta fuerant, vel eodem cum his morbo laborasse. Et ideo dixit, hanc quoque Epistolam esse legendam,* in Epist. ad *Coloss. ad cap. IV. Idem notat Chrysost., ad cit. Epist.*

(74. Amplius addimus, Epistolam ad Laodicenses S. Paulo ascriptam, supposititiam esse et apocrypham. « Hæc censura nititur 1^o Ecclesiæ auctoritate, quæ quatuordecim duntaxat Epistolas Pauli admittit; 2^o auctoritate SS. Patrum, qui nunquam ejusmodi Epistolam citarunt. (Unde Hieronymus in *Catalog. script. ecclesiast.*, recensitis Pauli Epistolis, subjungit: *Legunt quidam, et ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.* » Natal. Alexand., *Hist. Eccles.*, sæc. I, cap. 12, § 6, art. 6.

(75. Verum quidem est, dixim Thomam, lect. 1, in cap. IV Epist. ad *Coloss.* asserere S. Paulum « scripsisse alias Epistolas, nempe illam, de qua fit mentio hic, scilicet Laodicensium, et unam aliam ad Corinthios, præter primam et secundam... Sed ratio est duplex, quare non sunt in canone; quia non constabat de earum auctoritate, quia forte erant depravatæ, et perierant in Ecclesiis, vel quia non continebant aliud quam ista. »

(76. Sed salva erga tantum virum reverentia, verba ipsa memoratæ epistolæ ad *Coloss.* perspicua sane sunt, quam ut eam significationem patiantur, prout D. Thomæ visum est. Unde nequaquam putamus recedere a sententia Theodoretii et Chrysost. qui quidem eam octo et amplius sæculis ante laudat. D. Thom. vixerint, hujusmodi rem melius fortasse disquirere potis erant. His adde, quod synodus *Laodicea* an. 357, vel 364, sive 367, habita, canon. 60, seu postremo, catalogum sacrorum librorum recensens, 14 tantum Pauli Epistolas numerat, nusquam hanc, de qua sermo est, commemorans, ejus certe meminisset, si revera Paulus ad Laodicenses Epistolam scripsisset. Profecto nulli veterum hujusmodi epistola cognita fuit, ut ait Calmetus, *Comment. in Paul. Epist. ad Coloss. cap. IV, n. 16*; qui ibidem subdit: « Nobis maxime omnium probatur cum plerisque veteribus recentioribusque, ex Græci textus sententia, ab Apostolo hic innui Epistolam ad se a Laodicensibus datam, quam jubeat Colossensibus legi, tanquam iis optime instituendis opportunam; hæc porro interciderit. »

« Sensit Angelicus doctor datam esse a S. Paulo ad Laodicenses Epistolam; at unde istud habuerit ignoro. Doceat me, qui noverit, amabo... Nobis satis sit, quod Epistola ad Laodicenses apocrypha sit ac supposititia, prout circumfertur, vel prout exstabat antiquitus. » Ita Natal. Alex., *loc. cit.*

Quantum ad id quod subjungit D. Thomas de Epistola alia ad Corinth., vide animadversionem nostram hic supra n. 72.

(77. Quæres an in Hierosolymitanæ urbis excidio et deportatione Babylonica, libri sacri perierint, eosque ex integro reparaverit vel dictaverit Esdras?

Præmitto quod auctor quarti libri *Esdræ* fons est et unicum momentum opinionis de sacrorum librorum interitu, eorumque, *Esdra* auctore, reparatione. Narrat ille lib. IV, cap. XIV, 19, se, cum forte coram Domino esset, vocem invitantis audisse, qua docere fratres suos jubebatur. Respondit ille: *Ecce ego abibo, sicut præcepisti mihi, et corripiam præsentem populum. Qui autem interim nati fuerint, quis commonebit? Positum est ergo sæculum in tenebris, et qui inhabitant in eo, sine lumine: quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit quæ a te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum sanctum, et*

(45) Nec solum quartum, sed et tertium sub nomine *Esdræ* librum Ecclesiæ Latine auctoritas re-

scribam omne quod factum est in sæculo ab initio quæ erant in lege tua scripta, ut possint homines invenire semitam, et qui voluerint vivere in novissimis, vivant. Et respondit ad me, et dixit: *Vadens congrega populum, et dices ad eos, ut non querant te diebus quadraginta. Tu autem præpara tibi buxos multos, et accipe tecum Sarean, Dabriam, Salemiam, Echanum et Asiel, quinque hos, qui parati sunt ad scribendum velociter. Et venias huc, et ego accendam in corde tuo lucernam intellectus, quæ non exstinguetur quoadusque finiantur quæ incipies scribere. Et tunc perfectis quædam palam facies, quædam sapientibus absconsa trades: in crastinum enim hac hora incipies scribere.*

(78. In frequenti ergo populi concione *Esdras* populo omnia exposuit imperavitque, ne toto XL dierum spatio quispiam ad se accedere auderet. Vocatis deinde viris in eam rem designatis, mane alterius diei vocem audivit imperantis, ut, aperto ore, oblatum poculum hauriret. Ille ore statim diducto, æqueum liquorem colore igneo bibit; quo hausto, nimio veluti intelligentiæ æstu illius pectus exundabat, sapientia mens redundabat, spiritum nunquam memoria destituit, apertumque loquendo os nunquam quievit. Eodem intelligentiæ Spiritu quinque illi viri ab Altissimo donati fuere, qui dictantis verba ita excipiebant, ut ne obscuris quidem rebus scripto referendis deessent. Cibum ad noctem differabant, cum interim *Esdras* diu nocteque loqui nunquam desineret. Ita spatio XL dierum res fuit absoluta, *ibid.*

(79. Ex hujusmodi narratione utique cognoscas licet, derivatam esse opinionem de sacrorum librorum interitu; in quam *Clemens Alexandrinus, Stromat. I*; *Basilius, Leontius, S. Isidorus*, aliique etiam recentiores concesserunt.

(80. At scias oportet, quod Græcorum et Latinorum omnium suffragio *liber IV Esdræ* e canone excluditur (45). Rejicit auctor *Synopsis*, rejiciunt Patres et concilia, in quorum catalogo non nisi duo libri *Esdræ* commemorantur. Tandem Hieronymus stylo censorio duos postremos *Esdræ* configit in Epist. ad *Domnion. et Rogat.*, per hæc verba: « nec apocryphorum tertii et quarti *Esdræ* somniis delectetur. » Item, in opere *adversus Vigilantium*: « Tu vigilans, ait, dormis, et dormiens scribis, et proponis librum apocryphum, qui sub nomine *Esdræ*, a te et a tuis similibus legitur. »

(81. Jam vero libros sacros nusquam perisse, nec illos *Esdræ* ex integro reparasse vel dictasse, luculentissimis argumentis demonstrare aggredimur.

(82. Ac primum libri sacri tempore *Babylonicæ* captivitatis superstites erant; quippe de quibus apertam mentionem faciunt tres illius temporis illustres *Daniel, Ezechiel, Baruch*. Et quidem *Danielis* cap. IX, v. 11 et 13, hæc habentur: *Et omnis Israel præ-*

jicit, apocryphum pronuntians. Calmetus, *Diss. in III lib. Esdræ.*